ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

CARMINA

PARTIM SUA GRAECA ET LATINA

PARTIM ALIENA IN ALTERUTRAM LINGUAM AB SE CONVERSA

ELEGIT RECENSUIT IN ORDINEM REDEGIT

THEODORUS KORSCH

MOSQUANUS.

HAUNIAE MDCCCLXXXVI.

SUMPTIBUS LIBRARIAE GYLDENDALIANAE (HEGELIORUM PATRIS ET FILII).

TYPIS SCHULTZIANIS.

C 11
C 139

ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

CARMINA

PARTIM SUA GRAECA ET LATINA

PARTIM ALIENA IN ALTERUTRAM LINGUAM AB SE CONVERSA

ELEGIT RECENSUIT IN ORDINEM REDEGIT

THEODORUS KORSCH

I.

Rossicum.

ALEXANDRI PUSCHKIN.

Phoebi sacerdos, dum patitur deus
Cessare sacro munere liberum,
In vana nitenti popello
Isdem agitur male firmus auris.

Tum sancta plectio non resonat lyra
Soporque tardus pectora possidet
Ac futtile inter volgus ipso
Futtilior, dubium, an sit ullus.

Divina sed vox cum sonuit cavas
Ad vatis aures, emicat ingeni
Occulta virtus, ut recurrit
Mox aquilae vigor excitatae.

Profana iam iam gaudia respuit
Vitatque famae murmura publicae
Nec fronte prolapsus superba
Delicias populi salutat

Tristisque et asper, pectore dulcium
Pleno modorum, non sine numine
Litus remotum sive late
Fronde petit strepitante lucum.

II.

Dum me carminibus iugulas, audire, Bianor,
Te cupidum esse, mihi quid videatur, ais.
Desine flagitio scelus addere: dic age plane
Non te iudicium velle, sed auriculas.

III.

Graecum.

SAPPHUS.

O Venus, picta dea clara sede,
Te precor, proles Iovis o dolosa,
Ne mea aerumnis crucies et atris
Pectora curis.

Quin veni rursus memor ex Olympo
Te meis olim precibus vocatam
Aureis magni domibus parentis
Ire relictis,

Cum tuos currus volucres citatae
Desuper terrae sola nigra ferrent,
Axe de summo valida secantes
Aethera penna.

Mox, ubi nostrum tetigere limen,
Ore tu semper roseo renidens,
Quid mali indignam premeret, rogabas,
Quidve vocarem

Et mihi quidnam male sana vellem:
»Quem tuis nondum facilem requiris
Obsequi votis? quis iniquus, ede,
Sit tibi, Sappho.

Namque si vitat, cito te sequetur,
Dona si spernit, sua mittet ultro,
Oscula ut nolit dare, vel negantis
Carpet ab ore.«

Nunc quoque accedens vacuum molestis
Fac meum curis animum atque voti
Compotem et praesens sociis in armis
Ad latus adsta.

IV.

Ἰνδικόν.

ἘΚ ΚΑΛΙΔΑΣΟΥ ÇRṄGARATILAKAM.

Θηρητήρ ἐστ' ἤδε παίς, τὼ δ' ὀφρύε τόξα,
Βλέμματα λόξ' ἰοί, κῆρ δ' ἐμόν ἐστιν ἄγρη.

V.

Graecum.

ALPHEI MITYLENAEI.

(Anthol. Pal. IX 526).

Invictos praeclude aditus sublimis Olympi
Et tutare domos, Iuppiter, aetherias.
Sunt etenim iam armis pelage terraeque latinis
Debellata: Iovis regna domanda manent.

VI.

AD GABRIEL ATHANASII F. IVANOF,

magistrum optimum,

professoris litterarum romanarum munere

in *Universitate litteraria Mosquensi*

cum summo discipulorum commodo

per XXV annos feliciter functo.

(Pridie Kal. Nov. a. 1882).

Quamquam poetis non nimium placent
Anni fugaces et tacito pede
Labens senectus, ecce partem
Praeteritam celebramus aevi.

Nam cui quotannis, dum recolit dies
Nuper peractos, ex animo licet,
Quamvis modestus sit, fateri:
»Quod potui licuitque, feci«,

Quandoque luces hic memorabiles
Post longiores temporis ambitus
Sentit reverti, num iuventae
Conqueritur cecidisse florem?

Sic, o bonarum consitor artium,
Ex quo sacratum munus obis tuum,
Si quinque vigintique rite
Sol rediens glomeravit orbes,

Te quinque lustris insuper additis
Summae priori nil nisi fontibus
Tinxisse permultos latinis
Discipuli meminere grati.

Quare dicemus laetitiae diem
Et gallicani pocula Liberi
Dextris tenentes, ni Falernum
Quis dabit, unanimi precemur,

Multos ut inter, qui tua posteris
Praecepta tradant, hunc iterum diem
Robustus et Musis amicus
Post totidem tuearis annos.

VII.

Proverbia Arabica.

Non quivis, pellem qui gestat tigridis, audax.

* * *

Insano melior sapiens inimicus amico.

* * *

Difficile in primis homini cognoscere sese.

* * *

Deferet hic aliis de te, qui detulit ad te.

VIII.

Graecum.

ANACREONTEUM.

(41 v., 27 A B.).

Veneris vir ipse Lemni
Calamos leves Amoris
Famulis rubente flammis
Fabricabat e metallo.
At acumina imbuebat
Venus inde melle dulci,
Amor inde felle amaro.
Ferus ecce Mars trabali
Iaculo superbus illas
In arundines iocatur.
At Amor: »Gravem sagittam,
Ait, hanc fatebere ipse.«
Deus accipit sagittam;
Cytherea lene risit.
Gemitum sed ille mittens:
»Gravis, inquit: aufer istam.«
At Amor: »Manebit«, inquit.

IX.

Non mediocre tibi ingeniumst et lingua diserta
Paucaque, quae nosti, scis bene ferre palam.
Sed tamen haud verbum faciam, si, Cynthia, fias
Ingeniosa minus, sed taciturna magis.

X.

Rossicum.

A. Feti.

Grata mihi pluviast: pinguescunt imbribus arva
Silvaque laeta viret magis et fit purior aer
Atque odor herbarum sensim resonantibus alveis
Excit amoenus apes. Sed multo gratior imber,
Cum dominam guttis ad me perfundit euntem.
Namque humore nitent leves in fronte capilli
Pallidulaeque manus et labra ita frigore torpent,
Ut nequeam non ore meo recreanda fovere.
Sed gravis insomni, Pluvius Pater, es mihi nocte:
Quin potius cogar mures audire molestos
Ante measque sonent sine fine vehicla fenestras,
Dum modo ne strepitet stolidarum casus aquarum.
Dicas mille avium turpem sacramque catervam
Rostris ferratum pedibusque invadere tectum.
O miserere, Pater Pluvialis: sive puellis
Vis generare rosas seu laurea serta poetae,
Noli ferratum noctu mihi tundere tectum.

XI.

Si mihi pax optata foret, quantum tibi bellum,
Anser eques, posita iam gererem arma toga.

XII.

Graecum.

THEOGNIDIS.

(537).

Non facile e scillis rosa gignitur aut hyacinthus,
Nec paritur servae libera progenies.

XIII.

Cum pictura mihi tua displicet, omnia recte
Esse futura putas, si procul aspiciam.
Sane erit illa mea dignissima laude, Bianor,
Si stet, ubi rubro tingitur ora mari.

XIV.

Γερμανικόν.

ΓΟΙΘΙΟΥ.

Ὤιχετ' ἀ λιγύφωνος ἀήδων,
Ἔαρ δηὖτε πάλιν Fε καλήει·
Ἔξοι δ' οὔ τι νέον δεδάηκε,
Τὰ δὲ πρὶν τὰ κάλ' αὖτις ἀείδει.

XV.

Postquam discidium nos inter vincula rupit,
Forte tibi oblatum me, Cacobule, fugis.
Atqui non doleo, sed divos sedulus oro,
Ut nostrae aeternae sint inimicitiae.

XVI.

Indicum.

E CALIDASI ÇRNGARATILAKAM.

In me fige iterum tua caesia lumina, virgo:
Virus enim viri dicitur antidotus.

XVII.

Qui fit, ut extollas cunctos ad sidera amicos,
Cum sis integro, Cynthia, iudicio?
Scilicet est bene velle tibi tam splendida virtus,
Qua fieri possit vel Catilina Cato.

XVIII.

Ῥωσσικόν.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΥΣΚΙΝ.

Ἐλπίδος εἰ ψευσθέης, μήτ' ἄχνυσο μήτ' ἀγανάκτει.
Τλῆθι παθών· καὶ γὰρ γηθοσύνη ἕπεται.
Βοσκόμεθ' ἐσσομένοις, τὰ δ' ἐόντ' ἀνιηρὰ πέφυκεν·
Πάντ' ἀκαρέα· τὸ δ' ἄπαξ οἴχεται, ἤδὺ πέλει.

XIX.

Graecum.

HYBRIAE CRETENSIS.

(Bergk, P. L. III⁴ p. 651).

Sunt opes magnae mihi ensis hastaque et scutum nitens,
Corporis tutamen: illis namque aro, fruges lego,
Exprimo uvas, illa propter dominus a servis vocor.
At quibus neque ensis est neque hasta nec scutum nitens,
Corporis tutamen, omnes supplici adlapsi genu
Imperatorem atque dominum me salutantes vocant.

XX.

Carmina de Bruti recitavit laude Bianor.
Acria, nec solus, sum maledicta ratus.

XXI.

Indicum.

BHARTRIHARIS.

Montibus in summis pecora inter vivere praestat,
Quam stolidos inter caelicolum in domibus.

XXII.

Commendo tibi, docte Thore Langi,
Quam scripsi modo disputationem.
Haec si digna tibi videtur esse,
Quam Madvigius, omnium magister,
Cenatus legat aut recens lavatus,
Cum cessant animi subinde motus
Mensque odit gravibus vacare curis, —
Hunc, inquam, nisi respuis libellum,
Per te moenia visat Hauniana,
Ut sit mnemosynum, licet pusillum,
Ex quo vivere me sciant sodales.

XXIII.

Rossicum.

DELVIGII.

Iam valeas, Cytherea: iuvant me pocula Bacchi:
Hic iungit cunctos, tu modo, Cypri, duos.

XXIV.

Quid mihi nunc Lynceus, cum Cynthia non modo quae sunt,
Verum quae non sunt, haec quoque perspiciat?

XXV.

Περσικόν.

ΧΑΦΙΖΟΥ

(Muqatta'āt 33).

Εἰς τὸν παῖδα αὐτοῦ ἀνήλικον ἀποθανόντα.

Εστηκεν μὲν ἔαρ, θάλλει δ' ἴα καὶ νάρκισσος
Ἡδὲ ῥόδον· σὺ δέ μοι τίπτε μένεις ὑπὸ γῆς;
Εἰαρινῷ ὡς ὄμβρῳ ἰὼν τεὸν, ὦ φίλε, τύμβον
Ἄρσω δακρυχέων, ὄφρ' ἂν ὑπεκπροφανέῃς.

XXVI.

Graecum.

ANACREONTIS.

(69 v., 94 B.).

Non placet, ad plenum quisquis cratera recumbens
Iurgiaque et rixas diraque bella crepat,
Sed qui Pieriis Cythereia munera miscet
Usque venustatis laetitiaeque memor.

XXVII.

Dum coniuncta manu teneo studiosus eadem
Et Crocini nugas et Xenophontis opus,
Ecce duae veniunt super illa volumina muscae —
Coniceres pransas, quam bene musca potest —,
Indulgent genio, siquem deus addidit illis,
Ora terunt, alas atque pedes pedibus,
Deinde c . . aturae scriptorem utrumque pererrant
Atque notant m . . . is, qui placuere, locos.
Bestia quam saperet, licuit tum cernere cuivis:
Sordet enim nostras, Graecus, ut ante, manet.

XXVIII.

Γερμανικόν.

ΣΙΛΛΕΡΟΥ ΕΙΣ ΕΠΙΣΤΗΜΗΝ.

Τῷ μὲν ἐπουρανίη ὑψίθρονος ἥ γε θέαινα,
Τῷ δ' αὖ βοῦς ἀγαθὴ γλαπτοδότειρα δοκεῖ.

XXIX.

Graecum.

RUFINI.

(Anthol. Pal. V 93).

Pectora consilio munivi adversus Amorem,
Nec me contuderit viribus ipse suis.
Mortalis divo certabo... at si feret illi
Bacchus opem, potero qui prohibere duos?

XXX.

Indicum.

Qui res incertas sectatur, certa relinquens,
Incerta hic certe certaque perdit homo.

XXXI.

Graecum.

ARCHILOCHI.

(1 B.).

Non modo sum saevi Mavortis regis alumnus,
Verum etiam pollens munere Pieridum.

XXXII.

Rossicum.

ALEXANDRI PUSCHKIN.

O vates, populi favor
Ne sit cura tibi: nam simul ac brevis
Laudis transierit fremor,
Stulti iudicium, plebis et audies

Risus indocilis. Tamen
Desperare cave et difficilis mane.
Rex es: vivere te decet
Solum. Perge via vadere libera,

Quo te vis rapit ingeni
Praescriptis spatiis currere nescia,
Et, quaecumque animo libens
Obversata diu pectoribus foves,

Haec tu sedulus expoli
Neu poscas meritis debita praemia,
Mercedis dominus tuae:
Tu namque ipse tui summus es arbiter

Nec quo quisquam alius, tuum
Quicquid prodierit, tristius exigat.
Si te, conditor artis et
Iudex, non operis paeniteat tui,

Sic te vel laceret probris
Demens turba licet, conspuat et sacros
Ignes et pueriliter
Insultans tripodem concutiat tuum.

XXXIII.

Si verum dicis te coram non bene notis
Consulto ingenium dissimulare tuum,
Scilicet ut possis, ipsi sapiantne, videre,
Est tibi nullus homo cognitus, Aule, satis.

XXXIV.

Graecum.

ANACREONTEUM.

(15 v., 7 B.).

Non Sardium tyranni
Gygae talenta curo,
Non est meum potenti
Aut diviti invidere.
Curaest mihi profusa
Barbam rigare myrrha,
Curaest mihi rosarum
Cingi caput corona.
Quod nunc adest, movet me:
Nam quis futura novit?
Dum Iuppiter renidet,
Talos iace atque pota
Vinumque funde Baccho,
Ne qui repente morbus
Te poculis repellat.

XXXV.

Ἰνδικόν.

ἘΞ AMARUÇATAKAM.

Καλή, ποῖ σε φέρουσι πόδες δνοφερῆς διὰ νυκτός;
Ἔρχομαι, οὐ ναίει, τὸν περὶ κῆρι φιλέω.
Πῶς δέ, λέγ', οὐ δείδεις ἐν ὁδῷ μούνη περ ἐοῦσα;
Ἦ γὰρ ὀιστευτὴρ εἶσιν ὀπηδὸς Ἔρως.

XXXVI.

Tanta caterva tua se iactat, Cynthia, laude,
Ut prope paeniteat me placuisse tibi.

XXXVII.

Graecum.

LUCILLI.

(Anthol. Pal. XI 68).

Sunt, qui tingere te dicant, Nicylla, capillos,
Cui coma iam corvo nigrior — empta forost.

XXXVIII.

Si numquam nisi percitus furore
Sacro carmina pangeres, Bianor,
Nil, cur te fugerem, foret profecto:
Nam certe faceres poema nullum.

XXXIX.

Graecum.

(Anthol. Pal. V 84).

Flos ego purpureus fiam, manus ut tua possit
Carpere me et niveus deinde fovere sinus.

XL.

Candida nocturno dominatur in orbe Diana,
Saepe sed invisa condita nube latet.
Eminet insignis vario sic Delia coetu,
Turba sed ingressam protinus arta tegit.
Indignor. Faveas utinam, mea lux, mihi soli
Inque malam migret turba molesta crucem.

XLI.

Rossicum.

DELVIGII.

Evolvunt veterem magno molimine librum.
Frustra: namque liber iam bene notus erat.
Sic, iuvenis, Lyden qui captas, rem bene notam
Accipies: tandem nam tibi dicet: Amo.

XLII.

Creditur ignaris, qui sit, reus esse Bianor:
Semper enim squallens ambulat inluvie.

XLIII.

Ἰνδικόν.

Πιπτουσέων σταγόνων κατὰ μικρὸν πίμπλαται ἄγγος.
Τῷ δ' ἔπι καὶ σοφίη καὶ κτέαν' ἠδ' ἀρετή.

XLIV.

Miraris, subito quod oscitarim?
Audivi modo nomen Oppiani.

XLV.

Graecum.

ANACREONTEUM.

(31 v., 8 B.).

Sinas, deos per oro,
Vacare me usque Baccho:
Est, est mihi furendum.

Thebis parentis ultor
Furebat et Mycenis,
Uterque matricida:
Non sanguinis madenti,
Sed vitium liquore
Est, est mihi furendum.
Et Hercules furebat
Quassans gravem pharetram,
Arcus et Iphiteos;
Olim furebat Aiax
Scutum suum Hectorisque
Ensem manu coruscans:
Modo hunc scyphum tenenti,
Vincto caput corolla,
Sine arcubus, sine ense
Est, est mihi furendum.

XLVI.

Nil potuit Phileros umquam dixisse facete,
Cum meditaretur fronte madente iocos.
Sed quia, quae risus aliorum dicta mereri
Viderat, horum ipsi sensus opertus erat,
Hac tandem lepidum se credidit arte futurum,
Si iaceret quaedam vel sibi plana parum.

XLVII.

Graecum.

SOPHOCLIS.

(Antig. 781 sqq.).

Armis Cupido non superabilis,
Qui, dum puellae mollibus in genis
Custodiam exerces, repente
Non dubiam ruis in rapinam.

Tumultuosi per maris impiger
Discurris undas nec tenuis casam
Temnis coloni. Quis deorum
Aut hominum tua tela fugit?

Victis furores inicis impios,
Iustos relicta iustitia facis
Iniuriosos, atque iunctos
Sanguine in arma nefanda pellis.

Mentes revincit virginis ebriis
Dulcis venustas luminibus nitens
Unaque regnat cum tyrannis:
Nam Venus inviolata ludit.

XLVIII.

Cynthia, si posses, ut ais tu, cernere cuncta,
Cernere te posses cernere posse nihil.

XLIX.

Ῥωσσικόν.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΥΣΚΙΝ

ΕΙΣ ΤΗΝ ΌΜΗΡΟΥ ΊΛΙΑΔΑ ΤΗΝ ΥΠΟ ΝΙΚΟΛΑΟΥ ΓΝΕΔΙΤΣ ΜΕΤΑΠΕΦΡΑΣΜΕΝΗΝ.

Ληξάσης αἰὼ θείης Ἑλληνίδος αὐδῆς,
Θαμβέω δ', ὡς μεγάλου πρέσβεος ἐγγὺς ἐών.

L.

In veterum libris argutus menda tueris,
Nil simile ausurus sic tribuisse novis.
At communis erat sensus communis utrisque
Nec quisquam, nisi tu, sensit, Onete, secus.

LI.

Graecum.

ALPHEI MITYLENAEI.

(Anthol. Pal. IX 110).

Non laetas segetes ferentia arva
Nec me gaza capit beata Gygae,
Sed victum volo sobrium, Macrine:
Nequid namque nimis nimis iuvat me.

LII.

Exsultat nimium quod libertate Melinna,
Dicere ne dubites hanc sibi velle virum.

LIII.

Indicum.

E CALIDASI ÇAKUNTALĀ

(Act. IV).

Vi subita ardescunt flammae, dum ligna moventur,
Atque solet serpens tollere laesa caput.
Non aliter caeca versante cupidine pectus
Maiestas homini pristina saepe redit.

LIV.

Graecum.

ANACREONTIS.

(41 v., 44 B.).

Mihi tempora ecce canent, niveusque iam capillus,
Neque flos adest iuventae validive in ore dentes,

Neque longum mihi vitae spatium manet fruendae.
Itaque exprimit frequentes timor Orci mihi fletus.

Erebi tremenda sedes, aditusque habet tenaces:
Neque enim profectus illuc retrahi potest sub auras.

LV.

Munere si merito donare Bianora quaeris,
Istud Maliaca crescit in Anticyra.

LVI.

Germanicum.

SCHILLERI.

Singula facta virum ne femina iudicet umquam,
Esto sed iudex totius aequa viri.

LVII.

Ingeniosa quidem et me iudice, Cynthia, digna's,
Cui quis vel teretes praebeat auriculas.
Sed quotiens loqueris de rebus inepta virorum,
Respondere velim more tribunicio.

LVIII.

Graecum.

THEOGNIDIS.

(v. 1117).

Copia, cum primis bona et exoptata dearum,
Egregius tecum vel malus esse solet.

LIX.

Hercule, non mirumst spissos Licino esse capillos:
Nam crescunt nigro stercoreoque solo.

LX.

Armeniacum.

SHAH-AZIZI.

In mortem Stephani Nazarians oriental. ling. professoris Mosquensis.

Non aere fulvo, non Pario tibi
Surgit sepulcrum marmore candidum
Nec usitata quaeris arte
Nomen ab excidio tueri.

Sed scripta, quorum vis animos movet,
Et vita sanctis acta laboribus
Fecere, ut inter nos morari
Post obitum videaris idem.

Quare ecce ramum Palladium tua
Dextra rigatum nunc tibi deferunt
Sermonis ornatus novellus
Et populi viridis propago.

Tutus quiescas sub tumulo licet:
Nam quod Prometheus cum face lucida
Caecis es exortus tenebris,
Laurea te decorat merentem.

Fatis videtur sic placitum, ut boni
Communis in te susciperes onus
Devotus unus, nec tibi umquam
Contigit inde frui quiete.

Nam qui labori se dedit utili,
Spinas acutas fert pretium sibi.
At te fatigatum sub auris
Mollis humi foveat cubile.

LXI.

Germanicum.

E GOETHII »TEMPORIBUS ANNI«.

(19—20).

Ut latet hibernum, calido sed tempore germen
Fit cito laeta seges, sic amor ille tui.
Difficilis vincist, sin consuetudine sensim
Crevit et invaluit, cedere nescit amor.

LXII.

Persicum.

Rebus in adversis blandam spem ponere noli:
Fundit enim puram nimbus opacus aquam.

LXIII.

Γερμανικόν.

ΓΟΙΘΙΟΥ.

Μαίνεσθαι λέγετ᾽ ὀξυβόας κείνους καὶ᾽ ἀγυιάς
Ἔν τ᾽ ἀγορῇς Γαλατέων δεινὰ χέοντας ἔπεα.
Εὖ γε μάλ᾽· ἀλλ᾽ ἄφρων μὲν ἐλεύθερος ἔστ᾽ ὅτε βάζει
Καὶ σόφ᾽, ἀτὰρ σοφίη δμιωὸς ἄναυδος ἔφυ.

LXIV.

Sectatur bellas eques Anser ubique puellas
Et sibi cognomen bellipotentis avet.

LXV.

Ἀραβικόν.

Ὣδ᾽ ἄρ᾽ ἔχει τὸ πρῆγμι᾽· ὅτε γάρ κεν ἴδω ἀπὸ δόξης
Τὴν παιδ᾽, ἐκλείπω, γλῶσσα δέ μοι δέδεται,
Αὐτίκα δ᾽ ἐκπίπτει, ὅσ᾽ ἐνὶ φρεσὶ πρόσθε νόησα,
Οὐδέ τι μέμνημαι, πρίν μ᾽ ἀπιοῦσα λίπῃ.

LXVI.

Graecum.

PAULLI SILENTIARII.

(Anthol. Pal. V 268).

Nequis iam timeat fera tela Cupidinis: in nos
Omnia consumpsit spicula saevus Amor;
Neu tremat alarum sibi verbera: nam mea postquam
Institit indomito pectora pressa pede,
Inlabefactatus manet atque immobilis in me,
Corpore quod fractast utraque penna meo.

LXVII.

Indicum.

Nota tribus pereunt, servantur nota duobus,
Uni nota deus non reperire potest.

LXVIII.

Rossicum.

ALEXANDRI PUSCHKIN.

Poeta temere dum vaganti pollice
Doctam pererrabat lyram,
Surdis profanum volgus adstans auribus
Fastidiosum et frigidum
Sic murmurabat, ut decet plebeculam:
»Arguta quorsum haec carmina?
Aures nihil iuvante praestringens sono
Quo destinat nos ducere?
Quid vôlt inanis iste tinnitus lyrae,
Aut quid poeta nos docet?
Cur versat animos, ut magus, qui vim suam
Subiunxerit libidini?
Fertur soluta mens poetae aurae modo
Nec plus datura commodi.
Nam quid lucramur audientes, quae canit?«
Ad haec poeta: »Iam tace,
Operariorum volgus insanum, quibus
Curae atque egestas imperant!
Aversor ista tua proterva murmura:
Pronus iaces nec suspicis.
Lucrum sequenti Phoebus ille Pythius*
Tibi aestimatur pondere.
Lucri, lucri nam, quod sit illinc, nil vides.
At deus in illo marmorest.

---

* Del Belvedere.

Esto: quid ad te? praestat olla: scilicet
Cibum ad coquendum idoneast«.
Cui volgus: »Atqui, si places caelestibus,
Eorum et afflatu canis,
Fac ista nostro serviat virtus bono,
Mores ut hominum corrigas.
Namque impudentes, subdoli, ingrati sumus,
Ignava plebs et improba,
Lenti spadones, turba servorum rudis,
Calumniatores sumus.
Sin cum malis tot urgeamur artibus,
Miseratus humanam vicem,
Partes magistri strenui susceperis,
Aurem tibi praebebimus«.
»Abscedite, inquit ille: vobiscum quid est
Vati quieto et candido?
Vitiis sepulti pergite obtorpescere
Non excitandi barbito.
Odium mihi movetis, arca ut ossibus
Repleta putrescentibus.
Vestrae malitiae gratia atque insaniae
Habuistis usque ad hunc diem
Vincla et secures et flagella, quae satis
Servis putate amentibus.
Quid? quod sonorae stercore everri viae
Vestris solent in urbibus,
Nonne utile istud? nec tamen potissimum
Curae sacerdotes suae
Altariumque et operis obliti sacri
Scopis videntur instrui.

Non ad profana studia litium et lucri
Sâti poetae vivimus,
Sed ut iubente spiritu dulces modos
Et verba fundamus pia«.

LXIX.

Indicum.

E Calidasi Urvaçī.

(Act. III).

Felicitatis fructus est iucundior,
Si miseriarumst ac laborum praemium:
Confectus aestu solus, ut par est, probat
Capacis umbrae temperata frigora.

LXX.

Hoc physici quidam recte esse in rebus inane.
Rides? ecce caput cerne Bianoreum.

LXXI.

Graecum.

ANACREONTEUM.

(11 v., 6 B.).

Dicunt mihi puellae:
»Anacreon, senex es.
Si laminam politam
Rogaveris, capillo
Frontem videbis orbam«.
Utrum supersit an iam
Effluxerit capillus,
Non interest, sed illud
Scio, magis protervam
Senem decere vitam,
Cum fata iam minentur.

LXXII.

Cynthia, quae impigros nos esse satis negat, ipsa
Quid facit? impigros nos satis esse negat.

LXXIII.

Graecum.

CRATETIS

(Anthol. Pal. IX 497).

Amor fame domatur atque tempore;
Sin illa flammam non valent restinguere,
Restat remedium tertium laqueus tibi.

LXXIV.

Ἡμετέρης σοφίης ὀλίγας περ δέχθαι ἀπαρχάς
Ἄλλος τίς πέλεται σεῖο δικαιότερος;
Οὐδὲ γὰρ ὡς δῶρον τόδε τοι ἀλλότριον ἥκει,
Ἀλλὰ τεῶν μεταδοὺς νῦν λάβε τωὐτὰ πάλιν.

LXXV.

Arabicum.

Sis stellae similis, quae quamquam fontis in unda
Fulgeat, in caeli vertice fixa manet,
Neve sit exemplo fumus tibi, qui licet oras
Scandat ad aetherias, est oriundus humi.

LXXVI.

Cum dicis stolidos suam videre
Ipsos stultitiam, negare nolo.
Sed si res ita, uti putas, haberet,
Non esses, bona Thai, tam diserta.

LXXVII.

Graecum.

MENANDRI.

(Meineke, Comic. IV p. 230.)

Beatiora cuncta sunt animantia
Et plus valent ratione, quam humanum genus.
Primum omnium videamus hunc asinum licet,
Quam constat esse bestiam miserrimam.
Verum tamen nil huic per ipsum fit mali,
Sed quae dedit natura, sola possidet.
Nos praeter illa, quae necessest perpeti,
Ipsi per ipsos alia nobis addimus.
Si sternuit quis, cura, si dixit male,
Nos ira versat; somnium si vidimus,
Pavemus; ulula si canit, iam metuimus.
Opiniones, iura, lites, ambitus —
Imposita sunt haec cuncta naturae mala.

LXXVIII.

Brutus solet Romanus ultimus dici,
Philopoemenist cognomen ultimo Graium,
At tu, Bianor, es, puto, ultimus Mysum.

LXXIX.

Rossicum.

ALEXANDRI PUSCHKIN.

Aridum in libro sine odore florem
Conditum quondam simul atque vidi,
Mira defixam subito occuparunt
Somnia mentem.

Hunc ubi et quonam nituisse vere et
Quam diu dicam? ceciditne amico
Ungue an ignoto? positumque cur haec
Pagina servat?

Quine convenisse duos loquatur
Anne distractos misere? an per arva
Sive secretos nemoris sub umbra
Esse vagatos?

Ille si vivit, superest et illa,
Nunc ubi amborum domus et penates?
Anne ut ignotus cecidere dudum
Veris alumnus?

LXXX.

Ἰνδικόν.

Ἔστω τοι πρῶτον βασιλεύς, ἄφενος δ' ἄλοχός τε
Ὕστερον· οὐ γὰρ ἔχοις ταῦτ' ἂν ἄτερ βασιλέος.

LXXXI.

Quod te admiraris, Cacobule, et diligis ipse,
Laudo ego: cui placeas tu nisi forte tibi?

LXXXII.

Graecum.

ADDAEI.

(Anthol. Pal. IX 300).

Tauro triste nemus linquenti forte Doberi
Acer Peucestes obvius ibat eques.
Ille velut rupes ruit; at cava tempora monstri
Transabit e certa Paeonis hasta manu.
Cornuaque, exuviae victi de frontibus hostis,
Gloria magna viro, cum bibit inde, manent.

LXXXIII.

Cum tua me cupidum fastidia lenta fugassent,
Nil mansit tepidam praeter amicitiam.
Sed si infecta velis tua reddere, Delia, facta,
Hiscas: dispeream, ni recalescet amor.

LXXXIV.

Γερμανικόν.

ΓΟΙΘΙΟΥ ΕΙΣ ΦΡΟΝΤΙΔΑ.

Μή μοι ἀνέρχεο τῷδε παλινδρομέουσ᾽ ἐνὶ κύκλῳ,
Ἀλλ᾽ ἄπες, ὡς τὰ πρῶτ᾽, εὐμαρέως διάγειν.
Ἢ φύγω ἢ καὶ ἔλω; ἀτὰρ ὠκνήσθω ἅλις ἤδη·
Εἰ γὰρ μή μ᾽ ἀπιεῖς, θές γέ με, φροντὶ, σοφόν.

LXXXV.

Aspicite, o cives, hunc graeca impune docentem
Empodium, et nullos esse putate deos.

LXXXVI.

Graecum.

ANACREONTEUM.

(40 v., 33 B.).

Inter rosas Cupido
Apem sopore victam
Cum nescius petisset,
Repente sauciatus
Clamans manusque motans
Currens volansque venit
Ad filiam Diones.
»Consumor, inquit, alma,
Consumor occidique:
Me volneravit anguis
Alata, parva quaedam —
Apem vocant coloni«.
At illa: »Si molestus
Apis videtur ictus,
Quantum tuis sagittis
Tacti ferunt dolorem?«



LXXXVII.

Ῥωσσικόν.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΥΣΚΙΝ.

Ἐσκεδασμένης θυέλλης ὦ πανύστατον νέφος,
Μοῦνον αἰγλέεντος ἐσσὶ φερόμενον δι᾽ οὐρανοῦ,
Μοῦνον ἐπὶ πέδῳ κατηφέα καππετανν́υεις σκιήν,
Μοῦνον αἰσχύνεις ἀνίῃ μειδιῶσαν ἠμέρην.

Ἄρτι μὲν πέριξ ἅπασαν συγκαλύψαν αἰθέρα
Ἀμφιπλεκόμενον φαεινῇ δείν᾽ ἔλαμπες ἀστραπῇ,
Ἐν δὲ σοὶ βροντὴ βεβρύχειν, ὡς κεραννοὺς εἰκάσαι,
Διψίῃ δὲ γῇ ποθεινὸν ὄμβρον ἐξίεις σέθεν.

Νῦν δ᾽ ἅλις, γένευ δ᾽ ἄφαντον· οὐ γάρ ἐστι καίριον,
Χθὼν δ᾽ ἀνέψυκται πιοῦσα, πὰρ δὲ χειμιὼν ἔσσυται,
Μείλιχος δὲ φύλλα δένδρων ἄνεμος ἁβρὰ κινέων
Ἀτρεμήσαντος διώκει σ᾽ ὠθέων ἀπ᾽ οὐρανοῦ.

LXXXVIII.

Ventre laborantem me provida dicit amore
Cynthia torqueri, sic licet esse negem.
Vae tibi, ne perstes: nam si mihi non datur ipsi
Ulla fides, causam, Cynthia, . . lus aget.

LXXXIX.

Graecum.

MELEAGRI

(Anthol. Pal. V 139).

Dulce canis quiddam testudine, per tibi Panos,
Zenophile, iuro numina, dulce canis.
Quo fugiam? circum manus in me vadit Amorum
Nec respirandi tempus habere sinit.
Formane me accendit, citharae canor anne venustas?
Quid memorem? paucis omnia: flamma sumus.

XC.

En Licinus murum male cautus fronte cecidit:
Paene ruit murus, sed caput incolumest.

XCI.

Indicum.

BHARTRIHARIS.

Dives nobilis est et eruditus,
Dives callidus est et audiendus,
Et spectabilis et disertus idem:
Artes divitiis parantur omnes.

XCII.

Graecum.

ANTIPHANIS.

(Meineke, Comic. III p. 151.)

Onus profecto non datur mortalibus
Uxore gravius, quam superbam dos facit.

XCIII.

Doris amat contemnentem et contemnit amantem.
Cur ita? nempe, utro digna sit, una videt.

XCIV.

Καρνικόν.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΠΡΕΣΙΡΝΟΥ (PRESCHIRN).

Ἡσυχίης ἄτερ ἔνθα καὶ ἔνθα πλανώμενον αἰεί,
Ὅποι; μ' ἀνείρονται φίλοι.
Ἀλλ' ἄγε δὴ ἠερίην νεφέλην ἐρεείνετε μάλλον
Καὶ κύμ' ἔρεσθε πόντιον,
Κοίρανος εὖτε μέγας Βορέης κρατερῶς σφεα δεῦρο
Καὶ κεῖσ' ἐπαιγίζων ἄγῃ.
Ὅπποι δ', οὐ νοέουσιν· ἐγὼ δ' ἐμοὶ οὔτι σύνοιδα,
Ὅποι φέρει μ' ἀθυμίη.

Οἷον δ' οἶδα σαφέως· οὐ γὰρ θέμις ἐστὶν ἔμοιγε
Αὐτῇ προσελθεῖν, ἧς ἐρῶ,
Οὐδέ που ἔστ' ἐπὶ γῆ τοῖος τόπος, ἔνθα τε κέν πως
Τούτου λαθοίμην πήματος.

XCV.

In quendam alienae latinitatis censorem, qui, bona pars latine quid sibi vellet, ignorare se ostendit.

1.

Si nescis, bona pars, Agaste, quid sit,
Sis doctus licet, est necesse partem
Te nescire bonam latinitatis.

2.

Partiri mala tecum, Agaste, multo
Malim, quam bona: non enim verendumst,
Ut partem capias bonam malorum.

XCVI.

Germanicum.

E GOETHII »TEMPORIBUS ANNI«.

(24).

Hic est verus amor, qui numquam non sibi constet,
Omnia seu tribuas omnia sive neges.

XCVII.

Περσικόν.

ΆΜΜΑΡΟΥ.

Βούλομι' ἐγὼ κρυφθῆναι ἐν ἡμιετέρῳ ἐλεγείῳ,
Ὅφρ' ἂν ἀειδούσῃ χείλεά τοι φιλέω.

XCVIII.

Cepit mira puella te, Bianor,
Quae, qui non soleant placere cuiquam.
Hos tantum miseros amare fertur.
Sed miranda etiam magis videtur,
Quod non tacta tuost adhuc amore.

XCIX.

Graecum.

(Anthol. Pal. append. 126).

Participem exigui qui me deus abstulit aevi,
Me fugit, ille boni causa sit anne mali.

C.

*ΠΡΟΣ ΟΥΕΣΤΦΑΛΙΟΝ**.

Αἰ μὲν Λύκηον τᾷ δυναμίτιδι
Ὑπ' οὐδενίσταν οἴχετ' ἐς ἄερα,
Οὐκ ἔστιν ὅττι μὴ δεδόρκων
Σκεῦος ἔχησθα πέρ' ὀππάτεσσιν.

Αἰ δ', ὡς ἔολπα, σῶος ἐπὶ χθόνι
Ἴμερτον ἀλίω προτόρης φάος,
Δίκαιος ἔσσι τοῦτο δέχθαι,
Ὅ χθὲς ἔμια παράκοιτις εὗρεν.

---

* *Ῥοδόλφος Οὐεστφάλιος, ὁ εὐδοκιμήσας ἐπὶ μετρικῇ, παραγενόμενός ποτε τῷ ποιητῇ εἶπεν ὅτι οἱ λεγόμενοι οὐδενισταὶ ἀπειλήσειαν τὸ Λυκεῖον τὸ Νικολάου τοῦ Καισαρίδου, οὗ τότε κατῴκει, ταύτῃ τῇ νυκτὶ καταλύσειν τῇ νῦν πολυθρυλήτῳ δυναμίτιδι. Ἀπελθὼν δ' ἐπ' οἴκου δῆλος ἐγένετο τὴν αὐτοῦ διόπτραν καταλιπών. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ ὁ ποιητὴς αὐτὴν ἀνευρὼν ἀπέπεμψε μετὰ τοῖδε τοῦ ποιηματίου.*

XII.

Graecum.

THEOGNIDIS.

(537)

Non facile e scillis rosa gignitur aut hyacinthus.
Nec paritur servae libera progenies.

XIII.

Cum pictura mihi tua displicet, omnia recte
Esse futura putas, si procul aspiciam.
Sane erit illa mea dignissima laude, Bianor,
Si stet, ubi rubro tingitur ora mari.

XIV.

Γερμανικόν.

ΓΟΙΘΙΟΥ.

Ὤιχετ' ἀ λιγύφωνος ἀήδων,
Ἔαρ θηῦτι πάλιν Γι καλήν·
Ἔξει δ' οὔ τι νέον διδάκας,
Τὰ δὲ πρὶν τὰ κάλ' αὖτις ἀείδει.

Te quinque lustris insuper additis
Summae priori nil nisi fontibus
Tunsisse permultos latinis
Discipuli meminere grati.

Quare dicemus laetitiae diem
Et gallicani pocula Liberi
Dextris tenentes, ni Falernum
Quis dubit, unanimi precemur,

Multos ut inter, qui tua posteris
Praecepta tradant, hunc iterum diem
Robustus et Musis amicus
Post totidem tuearis annos.

VII.

Proverbia Arabica.

Non quivis, pellem qui gestat tigridis, audax.

* * *

Insano melior sapiens inimicus amico.

* * *

Difficile in primis homini cognoscere sese.

* * *

Deferet hic aliis de te, qui detulit ad te.

VIII.

Graecum.

Anacreonteum.

(41 v. 27 A B.).

Veneris vir ipse Lemni
Calamos leves Amoris
Famulis rubente flammis
Fabricabat e metallo.
At acumina imbuebat
Venus inde melle dulci,
Amor inde felle amaro.
Ferus ecce Mars trabali
Iaculo superbus illas
In arundines iocatur.
At Amor: »Gravem sagittam,
Ait, hanc fatebere ipse.«
Deus accipit sagittam;
Cytherea lene risit.
Gemitum sed ille mittens:
»Gravis, inquit: aufer istam.«
At Amor: »Manebit«, inquit.

IX.

Non mediocre tibi ingeniumst et lingua diserta
Paucaque, quae nosti, scis bene ferre palam.
Sed tamen haud verbum faciam, si, Cynthia, fias
Ingeniosa minus, sed taciturna magis.

VI.

Ad Gabriel. Athanasii f. Ivanov,

magistrum optimum,
professorie litterarum romanarum munere
in Universitate litteraria Mosquensi
cum summo discipulorum commodo
per XXV annos feliciter functo,
(Pridie Kal. Nov. a. 1882).

Quamquam poetis non nimium placent
Anni fugaces et tacito pede
Labens senectus, ecce partem
Praeteritam celebramus aevi.

Nam cui quotannis, dum recolit dies
Nuper peractos, ex animo licet,
Quamvis modestus sit, fateri:
»Quod potui licuitque, feci«,

Quandoque luces hic memorabiles
Post longiores temporis ambitus
Sentit reverti, num iuventae
Conqueritur cecidisse florem?

Sic, o bonarum consitor artium,
Ex quo sacratum munus obis tuum,
Si quinque vigintique rite
Sol rediens glomeravit orbes,

IV.

Ἰνδικόν.

ΕΚ ΚΑΛΙΔΑΣΟΥ ÇRṄGARATILAKAM.

Θηρητήρ ἐστ᾽ ἤδε παὶς, τῲ δ᾽ ὀφρύε τόξα,
Βλέμματα λόξ᾽ ἰοὶ, κῆρ δ᾽ ἐμόν ἐστιν ἄγρη.

V.

Graecum.

ALPHEI MITYLENAEI.

(Anthol. Pal. IX 526).

Invictos praeclude aditus sublimis Olympi
Et tutare domos, Iuppiter, aetherias.
Sunt etenim iam armis pelage terraeque latinis
Debellata: Iovis regna domanda manent.

Cum tuos currus volucres citatae
Desuper terrae sola nigra ferrent,
Axe de summo valida secantes
Aethera penna.

Mox, ubi nostrum tetigere limen,
Ore tu semper roseo renidens,
Quid mali indignam premeret, rogabas,
Quidve vocarem

Et mihi quidnam male sana vellem:
»Quem tuis nondum facilem requiris
Obsequi votis? quis iniquus, ede,
Sit tibi, Sappho.

Namque si vitat, cito te sequetur,
Dona si spernit, sua mittet ultro,
Oscula ut nolit dare, vel negantis
Carpet ab ore.«

Nunc quoque accedens vacuum molestis
Fac meum curis animum atque voti
Compotem et praesens sociis in armis
Ad latus adsta.

III.

Graecum.

SAPPHUS.

O Venus, picta dea clara sede,
Te precor, proles Iovis o dolosa,
Ne mea aerumnis crucies et atris
Pectora curis.

Quin veni rursus memor ex Olympo
Te meis olim precibus vocatam
Aureis magni domibus parentis
Ire relictis,

Tristisque et asper, pectore dulcium
Pleno modorum, non sine numine
Litus remotum sive late
Fronde petit strepitante lucum.

II.

Dum me carminibus iugulas, audire, Bianor,
Te cupidum esse, mihi quid videatur, ais.
Desine flagitio scelus addere: dic age plane
Non te iudicium velle, sed auriculas.

III.

Graecum.

I.

Rossicum.

ALEXANDRI PUSCHKIN.

Phoebi sacerdos, dum patitur deus
Cessare sacro munere liberum,
In vana nitenti popello
Isdem agitur male firmus auris.

Tum sancta plectro non resonat lyra
Soporque tardus pectora possidet
Ac futtile inter volgus ipso
Futtilior, dubium, an sit ullus.

Divina sed vox cum sonuit cavas
Ad vatis aures, emicat ingeni
Occulta virtus, ut recurrit
Mox aquilae vigor excitatae.

Profana iam iam gaudia respuit
Vitatque famae murmura publicae
Nec fronte prolapsus superba
Delicias populi salutat